



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Codex traditionvm Corbeiensivm

Falcke, Johann Friedrich

Lipsiae ; Gvelpherbyti, 1752

§. 68. De bonis traditis in villis Winethahus et Hrotthingun in pago Nethga.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36114

Ab anno
826 vique
853 im-
perante
Hludo-
uico et

§. 67.

Tradidit odi pro fratre suo teodulfo in *birgiströtum* (o) dimidium quod ibi habuit testef uulbert ico marcquard.

§. 68.

Tradidit goderman pro fratre suo meynheri in *uwinethabus* (P) quidquid ibi habuit præter vnum gangum in *hrotthingun* (Q) iurnales XV et unum locum aedificii domus testef renold aseric et eilbert tiadger hripo marcuard arnold hadubert folcdag deddo tiadric iuo bruno heinric ueuleric gerulf.

§. 69.

Tradiderunt hiuiniu et asculf quidquid habuerunt in *guddingun* (R) et in

fideretur accuratissime. Idem enim locus olim spectauit ad patrimonium Heinrici Leonis, teste diplomate anni 1203.

De filia
Birgistro-
tum.

(o) *Birgiströtum* erat filia, Sarachone teste. Intelligimus Birkenstrut in comitatu Waldecensi ad monasterium *Aroldeffen* spectans, ex bonis Corbeiensibus olim fundatum.

De villa
Wine-
thabus.

(P) Iam supra §. 5. not. (k) villæ cuiusdam *Winethabus in pago Logne* mentionem iniecimus, et indicauimus per eam vicum desolatam Winthufen in principatu Göttingensi intra præfecturam Niennouer. Nunc producimus ex nostro *Registro* villam *Winthufen in pago Netbga*, et putamus, eandem esse hanc villam *Winethabus*, in qua Godermannus abbatæ nostræ, quidquid habuit, donauit. Sed vbi est, quæris, vel vbi fuit eadem villa *Winethabus*? Respondemus: intra episcopatus Paderbornensis terras, et quidem inter vicos Rher (vbi domini de Mengersheim) Heinholte (vbi domini de Druchtleben), Natzungen (vbi domini de Siegard) et Schweckhufen (vbi domini de Spiegel castella seu domicilia sua nobilia habent) haud procul a vico Fronhufen. Nunc vero villa Winthufen dicitur *die Winter böse*; olim vero ibi erat vicus nominatus *Windbusen*.

De villa
Hrot-
thingun.

(Q) *Hrotthingun* videtur esse *Rotbe* haud procul ab oppido Borcholte et vico iam not. (P) dicto *Natzungen*. Ibi enim *pagus* erat *Netbga*.

De villa
Guddin-
go.

(R) Locum insignem, collato *Registro* nostro MScto, hic inuenimus aptissimum ad dirimendas controuersias, quas inter sese habuere viri quidam docti et nostra ætate illustres. Diu enim multumque disceptatum fuit, an villa *Goddinga*, in qua Carolus M. mense octob. anno XI. et quinto regni sui monasterio Dionysiano in Francia priuilegia confirmauit, in nostra Saxonia inuenienda sit nec ne; itemque an eadem villa sit vrbs *Göttinga*, in qua hodierna die academia floret; atque an eadem villa *Goddinga* *pagus Guddingo* nomen dederit? Licet autem nos, quæcunque a viris doctis egregie dicta sunt, miris modis vbique exosculemur, ea tamen, quam profiteamur, animi sinceritas nobis prorsus non permittit, vt ea, quæ sentimus, hic reticeamus. *Pagus Guddingo* vbinam sit inueniendus, iam supra §. 7. not. (n) indicauimus, nempe non in agris Göttingensibus, sed in ea episcopatus Hildesienfis atque Principatus Calenbergici parte, quæ oppida Eltze et Gronau ac siluam Ihr ab occasu attingit. Fuisse autem in nostra Saxonia et quidem in *pago Logne* villam *Guddingo*, *Registrum* nostrum sæpissime allegatum, confirmat. Quæ villa *Guddinge* an sit hodierna vrbs *Göttinga*, nunc nemo amplius dubitabit. Exstitit ergo iam tempore Ludouici pii villa *Guddingun*, cuius hic meminerunt traditiones, quæ, cum in *pago Logne*, qui in principatu Göttingensi, vti supra demonstraui, fuit, quondam exstiterit, *pagus Guddingo* nomen dare haud potuit. Nihil ergo videmus, quod nos impediât, quo minus statuamus, Carolum M. anno 779 præsentem fuisse in villa, postea vrbe, *Göttinga* intra nostram Saxoniam.

(S) *North-*